

## III.

Nam quod de omni hæresi ex Schola Satanæ orta niri-  
eam falso Scripturæ intellectu rectissime affirmatur, id de his  
hostibus Christi verum quoque esse non sine ratione dici-  
mus, ut qui Sacras Scripturas malo intellectu depravantes  
præsertim illas, quibus inexplicabilis S. S. Trinitatis mysteri-  
um vel imperscrutabilis Generationis Filij Dei ex Patre ex-  
ponitur, pessimè corrumpunt, sanumque sanorum verbo-  
rum sensum, multis varijs convitijsq; onerant; qui in ipsum  
Filiū Dei infesto maledictæ lingvæ aculeo invehuntur, & æ-  
ternam ejus Deitatem impudentissimâ procacitate denigra-  
re, imo penitus denegare & furto auferre conantur.

## IV.

Quorsum enim venenatæ, blasphemæ gentis, sibilatio-  
nes, quibus doctrinam de duarum in Christo Natur: unio-  
ne, λόγος & sermonem monstruæ, sententiæ appellantes in-  
festant? *Smal. in Ref. the. Mag. D. Rect. Clariss. Dn. D. Franz. Diss.*  
*5. pag. 9.* Commentum humanum de quo ne litera ex Scriptu-  
ra probari possit; *Catech. Racov. p. 55.* humanum inventum  
doctrinæ Christi & Apostolorum contrarium: *Ost. Inst. Germ.*  
*pag. 39.* frustraneam locutionem absque fundamento *Smal. d.*  
*D. p. 67.* Cum quibus tamen convitijs merum mel, ut pro-  
verbio dici solet, spirare videri volunt dum non Sacram  
Scripturam sed hominum traditiones (ut inquit *Smal.* & in-  
faustus ille *Faustus Socinus* in lib quem *Bellar.* & *VViek.* Esavvitis op-  
posuisse putatur) se oppugnare, & quidem unicè pro Christi  
gloriâ confirmandâ (nota astutiam venenosi serpentis) & pro  
eadem de humanis commentis liberandâ, prætendunt.

## V.

Hisce autem fraudulentis hæreticorum conatibus blas-  
phemijsque impijs (sic *August. lib. de Fid. & Syml.*) ne fides no-  
stra aliqua ex parte violari possit, obviandum necessario est;  
Ideoque immotum illud veritatis fundamentum ex princi-  
pio divinitus patefacto & Sacrarum Scripturarum fonte  
defendendum merito suscipimus, memores sententiæ eius-  
dem *August. lib. 3. de Trin. cap. 10. p. m. 153. Tom. 3. Ope. & de Gene. ad*  
*lx.*